

Obj. quatuor.

Objicitur quatuor: Vnius compositi vna est forma substantialis: sed quodlibet viuens est vnum solum compositum, ergo in eo est vna tantum forma substantialis, scilicet specifica.

Rsp.

Respondeo concedo maiorem de forma completa, & vltimata, & non subordinata: nego vero de formis subordinatis non vltimatis &c.

Conclusio.

Concludo itaque multo veriorum esse Scotistarum opinionem, nimirum quod quælibet viuentia habeant quandam formam, quæ in esse corporis constituantur, quod non modo est verum de viuente rationali; sed de sensitivo, & vegetatiuo, quod tamen est contra Henricum quodlibeto 2. quæst. 2. & 3. item quodlib. 4. quæst. 13. & 14. volentem dari tantummodo in homine formam corporeitatis, non verò in alijs viuentibus, in præsentem autem deducere fundamenta Henrici satis debilia nimis prolixum foret: deinde impugnat quoad hoc sufficienter à Ioanne de Bacone supra citato.

Inferitur contra Auicennam.

Nostra quoque resolutio est ex parte contra Auicennam, vt patet ex dictis, in quantum videlicet vult formam corporeitatis conuenire etiam non viuentibus, sed iam vidimus eius fundamenta nullius esse momenti, diximusque sufficere ad id, quod postulat Auicenna aut diuisibilitatem entitatum substantiarum, aut dimensiones interminatas: sed quia neque diuisibilitas entitativa, neque dimensiones interminatæ possunt constituitur materiam primam in esse corporis, organici præsertim, idcirco alia forma requiritur, quæ pars ipsius viuentis constituitur in esse corporis. Ex quo inferitur contra Thomistas, quod cum animam non possit dare esse corporeum organicum, hoc debeat haberi per formam quandam corporeitatis necessariam antecedentem, saltem in prioritate naturæ ad animam.

Inferitur contra Thomistas.

Partitio V.

An plures numero forme, siue substantiales, siue accidentales non subordinatae possint diuinitus vnâ numero informare materiam, & an plures materiae vnâ numero informari possint?

Status difficultatis.

Status controuersie non procedit via naturali; certum est enim, & receptum apud omnes Philosophos nullum agens naturale posse inducere in materiam duplicem formam substantialem vltimatam. Item nec potest facere, vt vna numero forma duas numero distinctas informet materias, & hoc non modo verum est de formis substantialibus, sed etiam de accidentalibus, nempe quod naturaliter duo accidentia solo numero distincta non possint esse in eadem parte subiecti: Et quia hæc supponuntur à Philosophis, ideo eorum inutilis foret probatio.

Quare tota controuersia procedit in ordine ad potentiam absolutam Dei, an scilicet Deus possit facere, seu an implicet, quod formæ duæ substantiales informet eandem materiam, aut vna forma informet duas materias? Item an duo

accidentia solo numero diuersa possint diuinitus in eadem parte subiecti requiescere, & an vnum numero accidens in diuersis numero esse subiectis?

Si verò materia possit informari à duabus formis substantialibus vltimatis, & specificis, à fortiori poterit vna forma duas informare materias numero distinctas. Item si duo solo numero distincta accidentia possint esse in eadem parte subiecti, à fortiori vnum numero accidens poterit esse in duobus subiectis, ideo breuitatis causâ præsertim occupabitur circa veritatem primæ partis cuiuslibet membri.

Primum membrum examinant Physici, vt Ruyus tract. 2. de forma quæst. 7. & Collegium Complut. disp. 4. quæst. 6. & plerique Recentiores: Metaphysici verò vt Fonseca quinto Metaph. cap. 4. quæst. 4. sect. 5. & Suares tom. 1. Metaph. disputat. 15. sect. 10. & ante hos omnes Petrus Niger prima parte Clypei quæst. 5. & licet ibi non aperiat, an loquatur de potentia absoluta Dei? attamen hoc videtur supponere, quia concludit esse impossibile duas formas esse in eadem materia: Primam partem secundi membri ex professo tractant de Flandria quinto Metaph. quæst. 9. art. 7. Soncinas septimo Metaph. quæst. 4. & Petrus Niger secunda parte Clypei quæst. 59.

Citantur Auctores.

Quoad primum membrum communior Responso est affirmatiua; ita citati: Collegium tamen Complutense ex professo partem negatiuam tuetur, & ad hoc ipsum etiam tendunt quædam argumenta, quæ pro se profert Petrus Niger, quæ & diluenda nobis erunt, sicut & argumenta Collegij Complut. vt communior doctrinam ab eorum impugnationibus vindicemus.

Ponuntur opiniones.

Ad secundum membrum respondet Petrus Niger naturaliter hoc esse impossibile, attamen de supernaturali possibilitate non facit mentionem, citatque Scotum in Metaph. dicentem etiam naturaliter id fieri posse de formis accidentalibus intentionalibus, & de realibus respectiuis, non tamen de realibus absolutis. Flandrensis negat absolute duo accidentia solo numero distincta posse esse actum in eodem subiecto, & quamuis non dicat se loqui de potentia Dei absoluta, tamen in responsione ad octauum id satis indicat, dum dicit duo corpora posse esse in eodem loco miraculose, & vnum in pluribus, non tamen duo accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto, nec vnum in diuersis subiectis, illaque opinio videtur esse magis communis inter Thomistas.

Quia autem prædictæ difficultates non ita ex professo examinantur à Scotistis, ideo per sequentes resolutiones satis nobis erit, quid verius apparuerit, simpliciter indicare, & post quamlibet resolutionem rationes aduersariorum proponere, ac soluere.

DECISIO.

Resolutio prima: Nulla apparet implicentia, quin duæ formæ substantiales specificæ, aut solo numero distinctæ, totales, & non subordinatæ informet virtute diuinâ eandem numero materiam; item quin duæ materiae informentur ab vna forma substantiali. Secunda hæc pars, vt

suprà

Num. 16. Determinatur quod duæ formæ substantiales totales non subordinatæ possint diuinitus eandem numero informare materiam.